



C. 151.



29. 30

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD
MEMORIAM
DIEI NATALIS
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
IN AEDE PAVLINA
A. D. XXV. DECEMBR. HORA XII.
RELIGIOSE CELEBRANDAM
INVITAT.

W. G. C. C.



RECTOR
ACADEMIAE THEOLOGICAE
MAGISTRUM
DIEI NATAE
DOMINI IESU CHRISTI
MCMXXI
ANNO
MCMXXI





Cum *Filius Dei factus homo* sit initium Euangelii, hoc est, salutis nostrae, quod ille naturae humanae velut instrumento Deum Patrem generi humano placuit, vnde spes omnis salutis pendebat: Ecclesia Christiana, praesertim admonitu et exemplo naturarum coelestium incitata, omni modo exhilarare voluit animabus piis dies, quibus rei tantae memoriam proprie celebrandam assignasset, adsumtis etiam institutis externis, per quorum suauitatem commendarentur studiis nostris. Enim vero haec gaudia nostra sunt inania et irridenda, si audimus eos, qui totum hoc commentitium putant; quod nec fieri possit, ut natura diuina cum humana ad vnitatem personae coniungatur, nec illa humilitas humanitatis, tum vniuersae, tum eius, quae Iesu Christi fuit, digna sit altitudine diuinitatis; quam deformari atque inquinari miseriarum et aerumnarum humanarum vexationibus ac sordibus. Quae tanto facilius adhaerescunt in animis hominum, quanto maiorem habent speciem sapientiae, et suffragationem sensuum humanorum, quorum impetu magis in decernendo impelluntur homines, quam rationis recte et constanter iudicantis auctoritate ducuntur. Itaque non alienum putauimus, ab talis criminationis iniuria liberare rem sanctissimam, et, quantum in nobis esset,

IV

cauere, ne talibus cogitationibus animi ita perturbarentur, vt liquido gaudere bono tanto non possent, deinde vero efficere vt etiam admiratione sapientiae et bonitatis diuinae, sub illa specie, tam contentibili sensibus humanis, latentis suauiter perfunderentur; in quo maxima et praecipua huius temporis religiose et salubriter transigendi pars posita debet existimari.

Iam nos non sumimus nobis hoc, vt demonstrare ratione perspicua et subtili suscipiamus, quomodo diuinae naturae humana iungi ad personae vnitatem possit, quique sit illius coniunctionis, e naturis duabus intelligentibus vnā personam efficientis modus: quis enim hoc sibi sumere audeat? quando nec huius nostrae coniunctionis, quae animo cuiusque cum corpore suo intercedit, modum vel intelligere quisquam vel explicare ratione potest, quamquam sensibus nostris subiectae. Immo vero cum *Gregorio Nysseno* (*Catechet. c. 11.*) τὸ πῶς huius copulationis, ὡς μέζον, ἢ κατὰ λογισμῶν ἕφοδον, διερευνᾶν παραιτέμεθα: modum eius, vt inaccessum ratiocinationi humanae, scrutari non sustinemus. Sed illud tamen perspicere et declarari posse arbitramur, in illa coniunctione, quae claris, et nulla probabili ratione in alium sensum torquendis, literarum sacrarum testimoniis nitatur, vt haec animi nostri cum corpore, testificatione sensuum nostrorum, nihil esse, quod naturae rerum diuinarum humanarumque repugnet.

Atque vt primum illam literarum sacrarum testificationem attingamus, cuius profecto non modo non minor, sed etiam maior, debet esse auctoritas, quam ipsius sensuum nostrorum testimonii: quis potest cum aliqua veri specie dubitare, eam, si omnia alia testimonia vel desint, vel debilitari aut eludi grammaticis aut criticis rationibus possint, eam igitur clare inesse in vno Iohannis verbo, (I, 14.) quod λόγον σῶμα factum pronunciat. Nam illum λόγον esse aliquam ὑπόστασιν, naturam permanentem et personam, eamque diuinam, tum
cetera

cetera superioris orationis arguunt attributa, quae nisi in personam diuinam non cadunt, tum maxime eius cum *ὁὐὸ τῷ πατρός μονογενεῖ*, *filio Patris unigenito*, eodem in versu permutatio: *et nos spectauimus illius λόγος*, qui homo factus esset, *maiestatem, qualis esse debebat in filio Patris unigenito*: quae appellatio *Filii*, vt non potest hic vilo modo esse muneris, ita nec diuinitatis vel attributum, vel motum ac nutum significare. Sed cum ille *λόγος*, creator rerum omnium, *factus homo* dicitur: nam id esse *σάρκα*, *carnem*, dubitationem iustam nec habet, nec habere potest, agnoscitque nuperus Euangelii Iohannei Interpres Berolinensis, quamquam alienus ab Ecclesiae nostrae de *λόγῳ* sententia: id, quia nullam *λόγος* ipsius mutationem significare potest, quod, quemadmodum *Cyrillus Alexandrinus* ait, (in *Dialog. T. V. Opp. p. 718.*) cum de diuina natura *τὸ ἐγένετο* dicitur, *ἀμαθές* fuerit, *καὶ ἀνόσιον κομιδῆ, τροπὴν διεσθαι σημαίνει αὐτό* *et stultum, et valde profanum, mutationis in eo esse significationem, putare*; quid potest aliud intelligi, quam coniunctio *λόγος* cum homine, vel humanae naturae ad diuinam adiunctio: nec coniunctio talis, qualem idem Interpres fingit, quae sit *ἐνεργείας* et actionis modo diuinae in homine Iesu, qualis fuit in Mose et aliis Prophetis atque Apostolis: etenim his nascendis, vel ad Propheticum munus per inspirationem admouendis, quis *λόγον*, aut Deum hominem factum dicat? sed quae Filii Dei et hominis vnā personam faciat, vt iam Filius Dei idem fiat et sit filius hominis, humano corpore vestitus. Haec igitur cum perspicua sint, et saluis verbis, saluaque legitima interpretatione, peruerti, ne impugnari quidem, possint, nisi ab iis, qui *σοφίαν οἰοῦνται, τὴν πρὸς Φανερά μάχην, sapientiam putant, contra perspicua pugnare*, vt bene ait, in *Apolog. c. 8. Eunomius*, ipse non raro huius sapientiae, torquendis per metaphysicas nugas Scripturis, adfectator: ad alterum et ad caput rei veniamus.

Dicimus, nec in *vniuersa illa*, quam Ecclesia nostra defendit, *vtriusque naturae coniunctione*, (ένωσει) nec in *modo adfiscendae humanitatis*, qualem et literae sacrae et res ipsa claris indiciis ac necessariis intelligere iubent, aliquid intelligi posse, quod ab naturae vel diuinae vel humanae indole et ratione ita abhorreat, vt repugnantia rerum vera oriatur.

Ac primum, sicut in coniunctione animi cum corpore intelligimus arctissimum mutuae praesentiae modum et gradum summum propter quem adficere pars vtraque alteram possit pro modo naturae suae, et animus corpus cum omnibus eius adfectionibus suum possit ac debeat ducere: sic in illa Filii Dei cum homine copulatione praesentia intercedit vtrumque talis, per quam ex vtroque vnum fiat subiectum, cum adfectione mutua tali, qualem vtriusque natura patiatur, propter quam diuina natura omnia humanae sua ducere possit, et humana diuinae. Sed haec coniunctio, qualem descripsimus; nihil habebit repugnantiae aut absurdi, si talis praesentiae gradus ac modus non repugnet neque naturae diuinae, neque praesentiae diuinae vniuersae. Intelligi autem debet, hunc praesentiae gradum ac modum non sic accipi, vt natura diuina Filii Dei loco propior fiat humanae; quod non est, cum sit a nulla re vilo interuallo disiuncta: sed quod, cum ipse per communem essentiam diuinam omnibus rebus ita adsit, vt eas vi sua conferuet (*Hebr. I, 3.*) in humana natura, illa praesentia eius naturalis et necessaria accipit hunc modum, vt ea fiat ipsi instrumentum proprium, quale est corpus animi humani, in quo et cum quo agat omnia, quae per nullam aliam rem et in nulla alia agat; vnde proprio quodam modo sua illa natura dicitur, et sua omnia, quae ea agat ac patiatur, vicissimque sua sint humanae communia; magisque, si subtiliter loqui velimus, humana ipsi propior facta sit; vnde Graeci *πρόσληψω* et *ἀνάληψω* vocant. Tentauit hoc discrimen et hos velut gradus praesentiae distinguere verbis *Gregorius Nyssenus in Catechetico*

c. 25. et cum utramque praesentiam εἰσώδη, *essentiae*, diceret, alteram illam communem personis omnibus et necessariam κατ' ἔγγραφον, vocavit, hanc, quae est voluntaria et personae κατὰ κατὰμίξιν, non bene, vt opinamur. Nam, vt mittamus incommoda metaphorarum, verbum vtrumque praesentiae veritatem et gradum summum bene exprimit, nec abhorret a consuetudine ceterorum Graecorum, quam et Latini sunt imitati; sed non habent notam propriam, per quam discrimen vtriusque generis constituatur et exprimitur. Nam et ipse in *Antirrhet.* p. 144. (in *Zaccagnii Monum. Eccles.*) de incarnatione filii Dei dicit, συνεκράθη πρὸς τὸ ἀνθρώπων, alibi etiam κατανύσσασθαι, et in eadem re vicissim ἐπιμίξιαν, p. 267. Ceterum rem ipsam bene perspexit, vt alia, et acute distinxit.

Enimvero, quid possumus in eo reperire, quod vel diuinae vel humanae repugnare dicamus naturae. Nam naturalis illa et necessaria diuinae naturae praesentia salua manet et immota, sed accipit extrinsecus accessionem quandam voluntariam naturae humanae, sicut anima humana, in conceptione, corporis: cuius possibilitatem quomodo absurdam putemus ac repudiemus, cum nitatur arbitrio diuino, cui quomodo negare possumus hanc facultatem, vt tale sibi instrumentum aut tale domicilium paret et assumat, in quo proprio quodam modo semper insit, semper operetur, quodque eam ob causam proprio quodam modo suum ducat.

Sed offendit etiam homines in hac coniunctione illud, quod vna persona dicatur fieri, demta naturae humanae vi, iure ac nomine personae; quod ne intelligi quidem, aiunt, posse, non modo difficile esse ad intelligendum, quod Theologi quoque fateantur. Enimvero in ea re, vt nobis videtur, negligentia quaedam, vel in cognoscendo vel in docendo officit veritati. Nam illud quidem Veteres praeclare viderunt, si humana Christi natura locum personae obtineat, induci personas duas, et coniunctionis veritatem tolli, propter quam
Filius

VIII

Filius Dei homo factus dicatur, relicta relatione (*σχέσις*) mera. Sed perturbari videmus homines verbo *subsistendi*, quod in eo solet Theologia latina usurpare, habetque ambiguitatem, quae non est in Graeco. Intelligi igitur debet, cum natura Christi humana non per se subsistere dicitur, et eam ob causam non esse persona, sed subsistere in persona Filii Dei, id habere primum vim non physicam, sed moralem, cum totum personae nomen in humanis e morali genere sit, deinde significationem hanc, ut diuina natura, siue Filius Dei, sit subiecti ex vtriusque naturae copulatione orti pars ea, cui proprie et primario omnia attribuantur, quae in illud subiectum cadunt, propterea, quod habet in ea persona dominatum omnem et principatum, humanam autem sibi tantum pro instrumento suo adsciuuit. Itaque siue se de coelo venisse dicat, aut omnia scire, aut his similia, siue se moriturum, et eius generis alia, semper diuina natura, Filius Dei, loquitur proprie. Ille *Ego*, qui dicit, *meo arbitrio pono vitam et repero*, est in vtroque Filii Dei proprie, et persona diuina, nec excluditur in alterutro parte homo, sed assumitur in communionem rei vtriusque; at assumitur tantum, pro modo cuiusque rei. In Nestoriana ratione, in qua homo Iesus est persona a Filio Dei distincta, est, ut ita dicamus, duplex *Ego*, alius, qui se dicat moriturum, alius, qui se Abrahamo priorem ferat; vnde multa absurda consequuntur: quod secus est per ea, quae diximus, in nostra et Ecclesiae probata, quae humanam per se negat subsistere, i. e. personae locum et vim tenere, sed cum persona Filii, quod nunquam ipsa sola de se dicat, sed modo participet in iis, quae Filius Dei de se in illa conditione praedicet.

In quo rursus non intelligimus, quid iustae offensionis ea res habeat: quae, si illa coniunctio vera est, et ad eum, quem diximus, modum constituta, aliter esse non potest. Ac bene rem illustravit antiquitas similitudine hominis cuiusque.
Nam

Nam et in hoc corpus non subsistere per se, -quoad illa coniunctio naturalis duret, sed in persona animi. Itaque fit, vt de se loquens homo, non modo in rebus animo propriis, aut cum corpore communibus, vt in iis, quae per corpus aguntur, aut acta et percepta sunt, sed etiam in ceteris, quae proprie sunt corporis vnius, omnia ad naturam intelligentem referantur, quae semper intelligitur primario, corpus tantum per participationem ex coniunctione, quae ei cum animo intercedit. Ac video consentire philosophos, *) quod in sermonibus dicat *Ego*, quod est personae proprium verbum, referri proprie et primario ad incorpoream naturam, quae sibi, etiam quae corporis propria sunt natura, vt aegrotationes, vt ipsam mortem corporis, adscribat. Quae res si nihil habet absurdi in homine, immo aliter fieri nec debet nec potest, ipsa natura rerum eo nos ducente, vt consensus naturalis omnium linguarum docet: quare offendat nos in diuinis, et non potius recta, et ita necessaria videatur, vt absurdum sit, aliter rem cogitare. Sed satis de his: ad minus subtilia et magis popularia veniamus.

Etenim negant, humanam naturam aptam esse diuinæ, cuius maiestatem violari illius humilitate. Quinam ista dicunt? Nempe ii, qui alias de humana natura cum loquuntur, eam prope ad diuinitatem vsque extollunt; qui in ea esse imaginem expressam diuinitatis dicunt, et speculum intelligentiæ diuinæ: qui, in mente humana sola esse dignum Deo templum, praedicant, et his similia multa, non falso, in naturam humanam congerunt. Enimuero cum ad hunc, de quo agimus, locum ventum est, omnium illarum sententiarum magnarum repente obliti, omnia humilia loquuntur. Nos vero etsi non ignoramus, quanto interuallo perfectionis diremta sit humanitas ab diuinitate; tamen nihil indignitatis intelligere possumus,

*) v. *Hayer Spiritualité de l'ame &c. T. II. p. 1. sqq.*

fumus, in vtriusque coniunctione tali, qualem descripsimus. Magnitudinem bonitatis et indulgentiae diuinae intelligimus, diminutionem maiestatis nullam: nisi vero etiam nimis longe ex altitudine se demisit, et dignitatis suae parum memor fuit, vt ille apud Ciceronem (*Acad. IV, 38.*) existimabat, cum ad creandum, non homines modo, sed etiam formicas et minores ac fordidiore bestias descendit. Quod si nemo nunc audet dicere, qui Deum credit esse auctorem rerum omnium, non potest intelligi, quare indignum eius maiestate credatur, si se proprio quodam et arctiori modo cum humana natura, in qua est imago ipsius, coniungat ad efficiendum opus dignum maiestate sua, quod sine ea coniunctione effici non potuisset; praesertim cum in ea nihil sit, nisi modus quidam praesentiae, quae et vniuersa cum rebus omnibus communicatur, sine diminutione aut obscuracione maiestatis diuinae. Nam si diuina natura praesens esse potest rebus omnibus, nec modo scientia et actione, vt nonnullis placet, sed etiam substantia, nec ab earum vel humilitate deprimitur, vel fordibus polluitur: quomodo tale quid cogitari potest in eo praesentiae modo, quem facimus naturae Filii Dei diuinae in humana? Nimis profecto anguste, et ad humanarum rerum modum, cogitant de diuinis, qui in hac coniunctione, ob talem causam, aliquid indignum Dei maiestate vident, immo videre se putant; quod quale sit, dicere perspicue, et remotis vanitatis humanae ludibriis, non queant. Quantum intersit inter naturam illam nostram intelligentem et liberam, immortalem, et corpus hoc, siue, vt etiam deprimamus magis, hanc carunculam, hoc mox pabulum vermiculorum, videmus. An ergo ille sublimis, et Deum cum coelo et terra complectens cogitatione sua et contuens animus, deprimitur, secundum veteres nugatores quosdam, et polluitur indigne, cum huic corpusculo iungitur nascendo, vt in ipso, cum ipso sentiat, intelligat, moueatur, agat? Et si haud paullo longius interuallum esse interiectum scimus inter Deum

Deum

Deum hominemque; similitudo tamen rerum demonstrat, ab illo interuallo, i. e. diuersitate perfectionis, in tali re nihil esse, quod ad minuendam alterius dignitatem valere possit.

Etenim tum demum hoc dici posset, si per eam rem diuinae maiestatis, quae inest in eius potentia, benignitate, sapientia et reliqua perfectione, si, inquam, maiestatis huius vel possessio labefactata, vel vsus dignus Deo circumscriptus, vel denique fructus, in quo est beatitudo, diuina, imminutus fuisset. Sed horum nihil nec ipsi excogitare vnquam, omni vi ingenii contendenda, potuimus, nec ab aliis demonstratum reperimus: tantum verba maiestatis diuinae et humilitatis humanae iactantur: fitque etiam hic, quod est in plerisque aliis opinionibus humanis, vt in solis verbis vim habeant, rei et veritatis, in magna specie verborum, inanissimae sint.

Quid quod etiam diuina natura, in illa Filii Dei coniunctione cum humana, si ita dicere fas est, lucrata est plurimum; quod ea re perfectio eius, et, vt sacrae literae appellant, gloria, manifestior hominibus, et amabilior, et ad sapientiam veram virtutemque inter homines amplificandam efficacior facta est. Nam si consilium rei tantae spectamus, quod totum pertinet, vt sacrae literae demonstrant, ad salutem generis humani; quid potest esse dignius Deo, quam illa tanta huius salutis cura, et, vt ita dicamus, tantus in ea re sumtus? An potest esse quicquam Deo indignum, quod pro salute naturarum intelligentium, salua sanctitate et iustitia, facit: et non potius illustratur eius dignitas supra modum, cum eius causa facit rem longe maximam, qua maior cogitari non potest, quaeque hoc ipso offendit angustos animos, quod eius magnitudinem capere non possunt? Intelligitur enim tanto magis magnitudo benignitatis et amoris, quam virtutem in Deo longe maximam esse, quis non et scit, et libenter credit. Itaque Iesus Christus ipse cum omnibus Apostolis, quorum scripta tenemus, in hoc mysterio Filii Dei *ἐν σαρκὶ φανερωθέντος*,

XII

angelis hominibusque patefactam esse dicunt magnitudinem sapientis bonitatis diuinæ, quæ non modo in ipso consilio diuino intelligatur, sed etiam in modo, quo ad effectum consilii peruenire decreuerit, hoc est, in filii sui cum humana natura coniunctione ad redemptionem generis humani. Rom. V, 8. Eph. II, 7. III, 10.

In ea autem re nihil esse, quod pugnet cum sanctitate et iustitia diuina, aut sapientia, non est difficile demonstrare. Nam sanctitas quidem accipere detrimenti nihil potest, cum coniunctio facta sit cum eo, qui esset ipse purus ab omni vitio, *Hebr.* VII, 26. et per hanc ipsam coniunctionem cum diuina Filii Dei natura ita eximeretur e peccantium numero, ut peccandi locus (possibilitas) non relinqueretur. Sapientia autem diuina non minus conseruatur in hac causa, immo illustratur maxime. Nam si quis dicat id, quod solet esse in promptu his, qui libenter difficultates mouent in rebus diuinitus constitutis, longe ac nimis maiorem esse rem, quam pro consilio et fine, quem minori veluti impensa teneri potuisse: primum, qui sciunt, id aliter fieri potuisse? deinde, si sciant, atque ita sit, tamen nihil præter vulgares quasdam de sapientia sententias, ut de via breuissima, queant dicere, quare sapientia diuinæ necesse fuerit minus facere, quam nos, auctoritate literarum sacrarum commoti, dicamus factum esse. Sed eam sapientia legem non fert natura rerum, ad naturas intelligentes earumque felicitatem pertinentium, nec hæc ipsa, in qua versamur, causa. Etenim, quando finis est a bonitate constitutus, et bonitatis demonstrandæ et illustrandæ causa, tum vero in delectu viarum, ad illum finem ducentium, quas demonstrat sapientia, fas est, arbitrium esse ipsius bonitatis: eam autem, in tali præsertim consilio, consentaneum est via ire ea, quæ et ipsa maxime sit apta bonitati illustrandæ. Quod consentit planissime cum iis, quæ Iesus Christus ipse de hac re docuit, ut *Io.* III, 16. quo ex
loco

loco clarum est, magnitudinem benignitatis diuinae magis perfectam esse modo salutis humanae reparandae, quam ipsa salutis restituendae voluntate. Nec refert utique, vtra re magis patefiat, sine an causis; si modo illustratur luculentissime, quod agebatur, et semper a Deo actum est. Neque vero vlla, ut ita dicamus, impensa nimis magna est, quae fiat gloriae diuinae causa: et si homo non erat dignus, propter quem et propter cuius salutem res tanta, tam superans expectationem et captum hominum, fieret, quod fatemur vltro, adde etiam, si lubet, necessitatem; at Deus ipse dignus erat, qui faceret, digna eius infinita bonitas, cui illustrandae res tanta condonaretur. Mittimus alia, quae sunt alio loco latius disputata, nec hic repetere necesse est.

Dicet aliquis, me non tam hoc offendit, quod diuina natura cum humana coniuncta est: at illud, quod cum homine infimae conditionis, in quo non modo nihil esset nec ab genere, nec ab honoribus, nec ab copiis, aliisque rebus, quod dignitatem haberet, aptam hospiti tanto, sed etiam aerumnae, contumeliae, mors ignominiosa et cruciatus plenissima: et vos ipsi ea commemoratis in partibus humilitatis vitimae. Haec est illa vetus offensio Iudaici stuporis, omninoque sensuum et vanitatis humanae, non verae sapientiae; quae hic nihil habet, quo offendatur, omnia, quae laudet ac probet, quae sibi ipse honesta et apta iudicet.

Nam quid, primum, habet humilitas fortis et conditionis, quod non conueniat dignitati incolentis humilem illum hominem Filii Dei? cum omnis humilitatis humanae nulla sit cum rebus diuinis coniunctio. Humillimi sunt serui: at hominibus humillimi sunt, non Deo: qui illa conditionis humanae discrimina necessitati societatis deuinciendae comparauit, non sibi. Nulla apud Deum ratio fortis humanae ducitur, nec eius diuersitas variat hominum dignitatem. Ergo ab illa hu-

XIV

mitate nihil redundare ad diuinam naturam Filii Dei potest, quod ei sit dedecori.

Quid porro dici potest, propter quod opus fuerit Filio Dei, si nasci homo vellet, eiusmodi conditione, quae abundaret omni splendore generis, potestatis et fortunae reliquae? Humana quidem potentia; quam tantopere in Iesu desiderabant Iudaei, et quicumque pari imbecillitate tenentur; dignitatem omnem et splendorem habet a facultate securitatis externae tuendae, et iuuandae felicitatis ciuilibus: cui cum non seruit, mortua est, ubi aduersatur, etiam inuisa. Quid ergo, hac tali potentia detracta, amisit, qui non securitatis et felicitatis externae causa natus erat, sed internae, quae nullis potentiae et opum instrumentis neque paratur, neque conseruatur. Agebatur vera et aeterna salus hominum, quae a veritate, benignitate et sapientia diuina venit. Ea est vna et vera et digna Filio Dei potentia, hae dignae opes; quas, in ipsa illa humilitate fortis et tenuitate fortunae, abunde et habuit et demonstrauit. *Io. I. 14.* Ac non dubitamus, visibilem splendorem honorum, potentiae et copiarum fuisse obfuturum maiori maiestati ex internis et inadspectabilibus bonis, hominumque sensus ita excoecaturum, vt cernere non possent lumen maiorum bonorum, quod sola intelligentia percipit.

Profecto, quicumque veram sapientiam intelligunt et amant, agnoscent potius in eo verissimam, et amabilem, et dignam Deo sapientiam, quod Filium suum cum vellet hominera fieri, omni illa humanae vanitatis pompa inanem et liberum esse iussit, nihilque in illius hominis fortuna reliquit pulcrum sensibus, admirandum populo, vt homines ad inadspectabilia et cernenda, et amanda, et admiranda conuerterentur; in quo est vera, etsi parum speciosa vulgo, et difficilis sapientia. Nam splendorem potentiae humanae, magnificentiae, diuitiarum, admirari facile est, tanto cuique facilius, quanto est ipse stultior et vitii plenior. At bona diuina et animi, quae non subiecta sunt

funt oculis, nulla specie sensibus commendantur, ea vero videre, pro bonis probare, admirari, expetere, contemptis vulgaribus admirationis humanae ludibriis, hoc opus, hic labor est. Sed rectissime ita semper est iudicatum a doctissimis, tum esse sapientiam maximam et splendidissimam, cum ad hunc gradum peruenisset, cum rerum humanarum splendorem nihili ducere, rerum diuinarum et inuisibilium solum admirari didicisset. Itaque in hac humilitate hominis Iesu, quam non modo non ut indignam se repudiavit, sed etiam certo iudicio et consilio delegit Filius Dei, existimemus Scholam nobis verae sapientiae patefactam esse, nec minus in cetero toto illo miseriarum externarum, afflictionumque ad mortem usque comitatu. Nam, si seponamus sustinendarum miseriarum, et cruciatuum, mortisque ipsius, ad expianda peccata necessitatem, an vere contumeliosum, ac non potius gloriosum est, si quis veritatis, virtutisque excellentis causa, contemnitur, vexatur atque interficitur? Si vero etiam pro salute publica, generis humani, ea sustinentur, cum aliter teneri non potest; quis non diuinum hoc et admirandum beneficium putet? et quae sapientia audeat eum contemnere, qui haec sua sponte obierit, victus amore generis humani, aut aliis diuinis humanisque virtutibus incensus? Vera nempe dignitas et gloria non fortunae secundae praemium est, sed sapientiae, sed virtutis, sed magnorum aduersus genus humanum meritorum. Ita iudicat semperque iudicavit vera sapientia. Itaque si memor sui et suorum praeceptorum esse volet, admirabitur ea omnia, et digna Filio Dei, digna homine eo fatebitur, quem sibi Filius Dei propriam et aeternam sedem diuinitatis suae fecisset.

Nos vero, qui Discipuli Iesu Christi esse haberique volumus, bene illam sapientiam in Schola hac, quae ab ipso Filio Dei, adsciscenda humanitate, patefacta est, bene fideliterque discamus, quidque vere magnum, pulchrum, admirabile et studiis nostris expetendum sit, consuefcamusque de rebus diuinis et humanis non ex opinionibus vulgaribus, et ad fallacem sensuum corporeo-

XVI

poreorum regulam; sed ad Filii Dei diuinum sensum et facta iudicare. Sit haec, per hos inprimis dies, in ore omnium cohortatio mutua: *Aude — contemnere opes, et te quoque dignum finge Deo.* Audeamus sapere cum Christo: nihili esto nobis, quicquid magnum est inter homines: summa sint diuino iudicio probata. Inanis est splendor rerum humanarum: diuina, ut minus splendeant oculis, magis profunt mentibus. *Τὸ μωρὸν τῆς θεῆς σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ, καὶ τὸ ἀσθενὲς τῆς θεῆς ισχυρότερον τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ.* *Diuina, etiam cum stulta videntur, plus habent sapientiae, quam res humanae quamuis speciosae: et cum humilia et imbecilla videntur, maiora et potentiora sunt humanis.* (1. Cor. I, 25.) Sola diuina pulcra sunt et aeterna: humana omnia nugae sunt et caduca. Ita dicamus: ita sentiamus: ita etiam viuamus.

In hac exercitatione sapientiae et pietatis Christianae, omninoque in tota illa, quam tractauimus, causa, quamquam nobis non parum difficultatis erit superandum, quod saepe obloquuntur ipsi sensus nostri, opinionesque speciosae, impressae nobis alte a prima infantia: tamen, in ea certe parte, quae ad Christi humilitatem pertinet, facilius videtur superari posse a nobis, quam potuit ab iis, qui illius humilitatis ac tenuitatis Iesu Christi, aerumnarumque omnium, testes fuere, nec temeritate vacare, quamquam piuum votum *Augustini*, qui inter tria, quae vidisse vellet, *Filium Dei in carne* primum fecisse traditur. Sed in illo fidei magnitudo votum illud fortasse ab temeritate liberauerit: nos tutius eum e longinquo videmus, et, liberis ab specie humili oculis, illius *σπάνδαλον* facilius tollimus sapientia diuina adiuti. Hoc argumentum, non indignum cogitatione nostra, et plurimum valens ad coercedam, cuiusque fiduciam sui, Oratione sibi tractandum fumsit, **M. IO. HENR. MVCKIUS, Vitebergensis**, Vir doctissimus, et ab artibus bene dicendi egregie instructus, quam inter Sacra in Aede Paulina, primo sacrorum Natalitiorum die, hora duodecima, recitabit. Ad haec igitur solemnia sacrorum celebranda, et ad Orationem talem audiendam, ut frequentes nobiscum conueniant *Illustrissimi Comites, Viriusque Reipublicae Proceres, Ciues denique omnes et Commilitones genere, ingenio, studiis doctrinae, nobilissimi atque carissimi*, etiam atque etiam rogamus atque hortamur. P. P. Dominica IV. Adv. A. C. N. CIOIOCCCLXIV.

L I P S I A E, E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

Fc 1285

Vol 18

ULB Halle 3
004 966 066



Sb.

nr.







27. 30

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD
MEMORIAM
DIEI NATALIS
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
IN AEDE PAVLINA
A. D. XXV. DECEMBR. HORA XII.
RELIGIOSE CELEBRANDAM
INVITAT.

Wolfgang Cramer